J. B. Kan, *Disputatio antiquaria de Ephoris Spartanis*. Groningae, ap. J. B. Wolters, 1855.

Quod lepide dicitur sed vere, viros doctos, quo quodque argumentum obscurius sit et intricatius, hoc lubentius suscipere et eruditius interpretari, hoc nuper novo argumento confirmatum vidi. Nam rogatus ut referrem de disputatione quadam *de Ephoris Spartanis*, librum accurate cum fontibus contuli, sed non diu me latuit quam parum utilis scriptoris fuerit opera in obscura Lacedaemoniorum civitatis ratione explicanda posita. Quodsi enim nostris moribus dissertationes conscribuntur ab iis, qui in Academia studiorum spatium confecerunt, ut specimen proponant industriae suae et doctrinae, non possum docti scriptoris opus non probare, qui diligenter et non sine iudicio congessit ea, quae pertinerent ad quaestionem solvendam; sin vero aliquid requiritur, quod novum sit et ingeniose inventum et docte ornatum et subtiliter disputatum, quod tamen iniquum foret postulare, hanc laudem non consecutus est. Quod nolim sic accipiatur, quasi hoc ei vitio vertam, nam in praefatione modeste dictum est et verissime, ut opinor, eiusmodi scriptiones hoc habere ut ingenium acuant et iudicium firment. Hoc sufficit, si modo scriptor sibimet ipsi operae pretium fecisse intelligat. Quocirca, etsi dissertationis argumentum, quippe nimis obscurum et densis tenebris involutum, non laudaverim; rationem et methodum non improbaverim. Nam video disputationem lento gradu et ordine progredi. Breviter enim exposita indole reipublicae Lacedaemoniorum, deinceps edocemur de Ephororum origine, de nu-

mero et ratione qua crearentur, de potestate, de postremis fatis. Subiungitur epilogus, qui est quaedam totius libelli ἀνακεφαλαίωσις. Verum in relationibus non quaeritur de industria scriptoris, etsi ea ipsa laudari possit, sed imprimis hoc agitur an doctis hominibus libellus possit commendari, quia quaedam plana faciat, quae antea ignorarentur. Eligam quaestionem in toto libello facile gravissimam, qua quam potero accuratissime explorata, lectorum liberum erit iudicium. Videamus quid legatur de modo quo ephori creari soliti fuerint, quam quaestionem cum viros doctos iam diu vexaverit, ne hic quidem ad finem perduci nihil mirum est.

Quaestio quam dixi tractatur tertia paragrapho secundi capitis, in qua illud rectissime dicitur Ephoros suffragio creatos esse, non sorte lectos, nam sortitionem, quae liberioribus rerum publicarum formis tantummodo convenit, Spartae non usuvenisse ex diserto Aristotelis gravissimi auctoris testimonio omnino constat. Tum scriptor pergit et probat Ephoros neque a Senatu neque a Regibus creatos fuisse, quae res feliciter ei cedit, nam qui alterutrum statuunt nec testimonium habent, quo freti sententiam veri quadam specie commendant et omnino tradere videntur id, quod est nimis ridiculum. Sed caute, ut in obscura re, affirmo scriptorem errare, ubi nimis longe progressus instituit probare ne a populo quidem creatos Ephoros fuisse. Nam tum abutitur Aristotelis quodam loco, de quo mox videbimus, tum docet id quod fieri omnino nequit. Nam si Ephori suffragio ad hoc munus pervenerunt, neque Senatores neque Reges creandi ius usurpaverunt, superérit populi quasdam in ea re partes fuisse. Verum praestat locos, qui huc pertinent, accurate explicare; nam video cum alios tum Nostrum plerumque titubare, cum aut de creandi ratione falsa doceant, aut omnino nihil constare confirment.

Ac primum omnium non satis constat, a quo inde tempore Ephori Spartae fuerint. Lycurgum quidem eos non instituisse apparet; saltem ea dignitate quam novimus diu post ornati sunt. Video quidem ex *Etym. Gud.* laudari: ἔφοροι· οἱ τὰ τῶν πόλεων ὤνια ἐπισκεπτόμενοι, cum Timaeus novit quinque Ephoros maiores totidemque minores, unde eos non inepte cum Ro-

manorum Aedilibus comparaveris, sed, etsi neque affirmari neque refelli possit tales Ephoros Lycurgi aetate iam institutos fuisse, tamen audacter statuere possumus sine ullo errandi periculo, Ephoros, quos novit historia, Theopompo rege non esse antiquiores, etsi verosimiliter potestas arctis limitibus initio circumscripta, multo post demum ita creverit, ut iam inde a Persico bello Ephori omnia Spartae suo arbitrio regerent et moderarentur. Cleomenes certe in nobilissima illa oratione ad populum, quam refert PLUTARCHUS in vita capite 10, nos docet Messeniaco bello, crediderim primum bellum intelligi, regnante Theopompo, *τοὺς βασιλεῖς διὰ τὰς ϛρατείας ἀσχόλους ὄντας αὐτοὺς πρὸς τὸ κρίνειν, αἱρεῖσθαί τινας ἐκ τῶν Φίλων καὶ ἀπολείπειν τοῖς πολίταις ἀνθ' ἑαυτῶν, ἐΦόρους προσαγορευθέντας* eosque primum fuisse *ὑπηρέτας τῶν βασιλέων*, sed hoc fortasse aliquantulum causae accommodatum est, nam si quis inde conficere vellet reges creasse Ephoros, is quam posset maxime a vero aberraret, nam tum loci omnino desunt, qui huic opinioni favent, tum perpetuae regum et Ephororum dissensiones et inimicitiae faciunt, ut prorsus concedi nequeat. Quantopere ab his initiis Ephororum potestas creverit, nemo disertius dixit quam Philippus Macedo apud POLYBIUM XXIV p. 690 Didot., qui in oratione ad filios hoc dicit: reges *τοσοῦτον χρόνον διετήρησαν τῇ πατρίδι τὴν τῶν Ἑλλήνων ἡγεμονίαν, ὅσον πειθαρχοῦντες ὥσπερ γονεῦσι τοῖς ἐΦόροις ἠνείχοντο συμβασιλεύοντες ἀλλήλοις. ὅτε δὲ Φρονήσαντες εἰς μοναρχίαν τὰ πράγματα μετέϛησαν, τότε πάντων ἅμα τῶν κακῶν πεῖραν ἐποίησαν λαβεῖν τὴν Σπάρτην*: ubi coniicio POLYBIO obversata esse cum aliorum regum exempla, tum Agesilai, qui omnium maxime Ephoris dicto audiens fuisse dicitur, sed quo regnante Leuctrica pugna Lacedaemoniorum res conciderunt, nam quae hac de re fuerit POLYBII sententia, docemur IV. 81 § 12, ubi ab hoc inde tempore Spartae omnia in praeceps iisse dicuntur. Malorum, quae postea civitas perpessa est, causam haud obscure Philippus innuit fuisse Cleomenem illum tertium, qui Ephoris sublatis, cum Antigono Philippi tutore infeliciter bellum gessit et exsul in Aegypto diem obiit.

Sicut autem ephori perpetuo regibus adversantur eorumque imperio invident, sic constans et fidelis est Senatus et Epho-

rorum concordia. Quae res cum hucusque haud satis animadversa videatur, paullo diligentius nobis explicanda est. Notum est Senatum constitisse e duodetriginta viris praeter reges, eosque omnes plerumque e nobilioribus civibus suffragio creatos, fuisse sexaginta annis maiores. Nomen videtur fuisse ἁ γερωΐα, quod moneo propter Nostrum, qui pag. 6 minus recte eam γερωχίαν dictam fuisse censet, cui formae originem dedit infelicissimum etymologiae studium. De ea concordia autem, quam dixi, singulis locis saepe difficillimum est iudicium, quia rerum gestarum scriptores, qui non id agebant, ut Spartanae reipublicae formam lectoribus explicarent, saepe minus accurate aut Ephoros solos nominant, cum ii tamen procul dubio Senatus auctoritate egerint, aut Senatores solos, etsi re antea cum Ephoris deliberata, aut, quod plerumque fit, magistratus sive populum simpliciter memorant, ita ut liquido sciri nequeat, quinam intelligantur. Attamen hoc constat tum Ephoros omnia fere in civitate suo arbitrio rexisse, tum Senatus haud exiguam fuisse in his auctoritatem. De Ephororum quasi regno nihil opus est afferre exempla. De Senatu satis erit nominasse Polybium VI. 45, qui de hoc collegio agens affirmat: δι' ὧν καὶ μεθ' ὧν πάντα χειρίζεται τὰ κατὰ τὴν πολιτείαν, aut Plutarchum, qui in *vita Lycurgi* c. 36 Senatum κύριον τῶν μεγίςων vocat. Hinc coniicio saepe Senatui Ephororum auctoritate opus fuisse et contra, etsi hoc in scriptoribus vix appareat. Quod cuiusmodi sit, exemplo lubet declarare. Cum Anaxandrides rex uxorem sterilem, suadentibus Ephoris, repudiare nollet, Herodotus V. 40 narrat, hac de re inter Ephoros et Senatum deliberatum fuisse pronunciatumque fuisse de consilii sententia, ut rex, si uxorem repudiare non placeret, aliam praeter hanc duceret. Verum Pausanias, qui idem narrat III. 3. 7, Ephororum tantummodo meminit. Hinc intelligitur quid in simillima re statuendum sit. Plutarchus enim in *Agesilai vita* secundo capite narrat Ephoros Archidamo mulctam dixisse, quod parvam uxorem haberet: οὐ γὰρ βασιλεῖς, ἔφασαν, ἄμμιν ἀλλὰ βασιλείδια γεννάσει, ubi obiter corrige ἁμὶν et γεννασεῖ. Apparet opus fuisse auctoritate Senatus. Facit hoc quoque ad explicandum Herodoti VI. 82. Cleomenes in patriam redux, cum Argos frustra expug-

nare conatus esset, ab inimicis accusatur apud Ephoros. Postquam causa peroravit, *πιστά τε καὶ οἰκότα ἐδόκεε Σπαρτιήτῃσι λέγειν καὶ ἀπέφυγε πολλὸν τοὺς διώκοντας.* Non sic locutus foret HERODOTUS, si haec causa acta fuisset coram viris numero omnino quinque. Affuit autem Senatus, sicuti affuit in causa, de qua accurate refert PAUSANIAS III. 5. 3. Pausanias minor, Atheniensibus ad Piraeum victis infecta re domum redierat; accusatur proditionis. *Βασιλεῖ δὲ τῶν Λακεδαιμονίων δικαστήριον ἐκάθιζον οἵ τε ὀνομαζόμενοι γέροντες ὀκτὼ καὶ εἴκοσιν ὄντες ἀριθμὸν, καὶ ἡ τῶν ἐφόρων ἀρχὴ, σὺν δ' αὐτοῖς καὶ ὁ τῆς οἰκίας βασιλεὺς τῆς ἑτέρας.* Quod autem in hac causa Ephori regem absolverunt cum quatuordecim Senatoribus, quum Agis rex cum totidem Senatoribus damnassent, id non pertinet ad aliquam gratiam, quae inter Ephoros et reges nulla umquam fuit, sed ad invidiam Lysandri. Etiam in causa Cinadonis, quam XENOPHON refert in *Hellenicis* III. 3, videre possumus, quam arcta esset Ephororum et Senatus concordia, sed de hac re infra agam. Immo statuere licet in Senatu omnium longe plurimum potuisse Ephoros, nam PAUSANIAS II. 9. 1. de Cleomene refert: *καὶ τὸ κράτος τῆς γερουσίας καταλύσας Πατρονόμους τῷ λόγῳ κατέστησεν ἀντ' αὐτῶν.* Cleomenes autem Senatum non sustulit, qui perduravit, sed Ephoros in eorumque locum creavit patronomos.

Quod autem dixi me paullo accuratius acturum esse de ratione, qua Ephori crearentur, hoc ideo faciam, quia scriptor dissertationis, de qua refero, etsi persuasissimum sibi habeat investigari non posse, qui Ephoros crearent, tamen summo opere contendat eos creatos fuisse vel ex infima plebe, immo potius plerumque pauperrimos quosque hoc gravissimum munus facillime adeptos fuisse, quod longe secus est. Supra iam dixi Ephoros necessario creatos fuisse a populo. Hic autem scriptor tradit ea, quae, si quid video, inter se pugnant. Nam si vel homines de infima plebe aliquando ad hunc honorem evecti fuerint, apparet sane omnibus civibus aut, si ita mavis, tenuissimis saltem, suffragium fuisse permissum, nisi credendum sit ditiores munus omnium in civitate facile gravissimum, pauperioribus relinquere maluisse, quam ipsos suscipere. Verum illud ipsum Ephoros homines fere fuisse pau-

periores, errore nititur et Aristotelis loco non recte intellecto. Quod et accurate demonstrari potest et per se facile patebit. Fac enim Ephoros fere fuisse de plebecula Spartana, neque opibus neque virtutibus vere Spartanis admodum insignes. Iam velim explicetur quomodo isti homines magistratum initio tenuem tam insigniter auxerint, cum contrarium contra ubique obtinet. Quum enim ad honores homines minus idonei promoveri solent, mox et ipsi honores minoris haberi incipiunt et tandem pristinam dignitatem prorsus amittunt. Quod luculento exemplo videre est Athenis, ubi Archontes, sorte et temere creati summum magistratum, ut nomen satis indicat, nequaquam tueri potuerunt. Porro velim explicetur, cur opulentiores hoc munus gravissimum obire nollent et obedire mallent quam imperare, cur Reges homines temere creatos corrumpere aut noluerint aut non potuerint, cur Ephori semper consentiant cum Senatu, qui e nobilioribus civibus legebatur, cur populus tenuiores creare maluerit quam ditiores, cum vel plebs Romana antiquis reipublicae temporibus, cum verbi causa tribuni militum consulari potestate creandi essent, tamen plerumque patricios homines legeret et vix unus et alter de plebe, quippe novus homo, ad hunc honorem adspirare potuerit; tandem, cum vulgo existimatur Ephoros creatos fuisse ex iis, qui aliquam capitis diminutionem passi erant, qui factum sit ut Ephori, etsi omnia pro lubitu administrantes, tamen numquam infames in integrum restituere conati sint.

Paucis declarandum est, quo spectet illud, quod ultimo loco posui de infamibus. Aristoteles *Pol.* II. 7, hoc docet: Ἐν μὲν Λακεδαίμονι κατὰ κεφαλὴν ἕκαστος εἰσφέρει τὸ τεταγμένον, nempe levem illam summam ad syssitia habenda, εἰ δὲ μή, μετέχειν νόμος κωλύει τῆς πολιτείας. Iam improbavit hoc praecedenti capite, ubi de Lacedaemoniorum institutis de industria agens, demonstrat multos iam civitatis iure excidisse, quia hanc qualemcunque summam solvere non potuerint: ὅρος δὲ τῆς πολιτείας οὗτός ἐστιν αὐτοῖς ὁ πάτριος, τὸν μὴ δυνάμενον τοῦτο τὸ τέλος φέρειν, μὴ μετέχειν αὐτῆς. Qui constitutam pecuniae summam, levem illam, solvere possent et caeteroquin Lycurgi legibus convenienter viverent, his ius civitatis erat integrum et appellabantur erantque ὅμοιοι; qui non possent, ut videmus,

infames habebantur fueruntque fortasse ὑπομείονες nominati, quamquam de huius nominis vi non liquido constat. Iam si quid sit interpretatio intelligo, efficio ex laudatis ARISTOTELIS verbis ius suffragii et honorum illis pauperioribus civibus fuisse ademtum. Contra disputat Noster, ante eum disputarunt multi alii. Exploremus argumenta.

Provocatur ad quatuor alios ARISTOTELIS locos; primus est, *Pol.* II. 3, ubi Lacedaemoniorum populare imperium dicitur: διὰ τὸ ἐκ τοῦ δήμου εἶναι τοὺς ἐφόρους. Altero loco, II. 6, legimus: ἡσυχάζει ὁ δῆμος διὰ τὸ μετέχειν τῆς μεγίστης ἀρχῆς et paullo post καθίσταται ἡ Ἐφορία ἐξ ἁπάντων. Tertio loco, II. 8: οἱ μὲν γὰρ ἐκ τῶν τυχόντων εἰσίν. Tandem IV. 7: Ἔτι τῶν δύο τὰς μεγίστας ἀρχὰς τὴν μὲν αἱρεῖσθαι τὸν δῆμον, τῆς δὲ μετέχειν· τοὺς μὲν γὰρ γέροντας αἱροῦνται, τῆς δ' ἐφορίας μετέχουσιν. Contendit scriptor non de homoeis solis, sed de omnibus Spartanis sermonem fieri; hos enim indicari, ubi ARISTOTELES τὸν δῆμον nominat, vel Ephoros ἐξ ἁπάντων sive ἐκ τῶν τυχόντων creatos esse affirmat. Non assentior. Ephori creari solebant ex solis homoeis et ipsa ARISTOTELIS verba hoc flagitant. Quam doleo docto scriptori in hac re non persuasisse eos, quos pag. 34 nominat, quique ex ARISTOTELIS verbis II. 6: ἡσυχάζει γὰρ ὁ δῆμος διὰ τὸ μετέχειν τῆς μεγίστης ἀρχῆς effecerunt per δῆμον solos ὁμοίους intelligi, cum constet ὑπομείονας et νεοδαμώδεις omnino non quievisse sed saepissime plenum ius civitatis expugnare fuisse aggressos, ut in celebri illa Cinadonis coniuratione. Sed, cum hoc illi non persuaserint, expromam aliud argumentum ex septimo capite secundi libri, ubi edocemur de institutis et moribus Cretensium. Ibi legimus Cosmis apud Cretenses maximam esse similitudinem cum Ephoris Spartanis, praeterquam quod illi non nisi ex quibusdam nobilibus familiis crearentur. Tum ARISTOTELES comparat utriusque magistratus indolem et pergit: ὃ μὲν γὰρ ἔχει κακὸν τὸ τῶν ἐφόρων ἀρχεῖον, ὑπάρχει καὶ τούτων· γίνονται γὰρ οἱ τυχόντες, unde patet, cum Cosmi, nobiles viri, pariter atque Ephori, dicantur οἱ τυχόντες, hos non necessario fuisse de infima plebe, sed intelligi homines suffragio temere creatos et, si fors ita tulerit, a virtute et animi dotibus parum commendabiles. Quod ad δήμου vocabuli notionem attinet, statim sequitur: τὸ

δ' ἡσυχάζειν μὴ μετέχοντα τὸν δῆμον, nempe Cretensium, οὐδὲν σημεῖον τοῦ τετάχθαι καλῶς. οὐδὲν γὰρ λήμματός τι τοῖς κόσμοις, ὥσπερ τοῖς ἐφόροις. Dicitur illud ad explicandum qui fiat ut Cretenses, qui non sicuti Lacedaemonii omnes Senatores fieri possunt, sed apud quos curia non patet nisi iis, qui Cosmi fuerunt, h. e. nobilibus viris, tamen quieti permaneant. Apparet, opinor, δῆμον hic non dici plebem cum contemtu sed populum in universum; unde conficio quatuor Aristotelis locos, quos supra exscripsi, perperam apud Nostrum explicari.

Verum sunt multa alia, quae huc faciunt quaeque proponenda sunt ne quis in Aristotele interpretando subtiliorem quam veriorem operam hic locari putet. Classicus locus legitur apud Xenophontem, *Hell.* III. 3. Cinadon erat τὸ εἶδος νεανικὸς καὶ τὴν ψυχὴν εὔρωστος, οὐ μέντοι τῶν ὁμοίων. Hic fecit coniurationem contra rempublicam, quam nescio quis defert ad Ephoros: se in foro a Cinadone rogatum fuisse quot Spartani adessent, tunc numerasse et indicasse circiter quadraginta Spartanos, regem, Ephoros, senatores quosdam, alios; Cinadonem tunc subiecisse hos omnes hostes habendos esse, ceteros quatuor millia circiter amicos et docuisse Spartanorum numerum pro incolis valde esse exiguum, hos autem omnes in coniuratione socios affuturos, εἵλωτας, νεοδαμώδεις, ὑπομείονας, περιοίκους, cetera quae nota sunt. Ephori, his nunciatis et haud mediocriter perturbati, festinantes ne parvum quidem populi concilium convocant, quod quid sit, quum res adhuc sub iudice sit, nunc non disputo; sed trepidi rerum suarum hunc et illum Senatorem adeunt ad consilia capienda de universa republica. Nemo hic non agnoscit coniurationem, quae eo spectabat, ut omne ordinum discrimen tolleretur et omnia civitatis iura cum omnibus communicarentur. Quod si autem Ephori, ut Noster affirmat, non optimo iure cives fuerint, sed potius de plebecula sumti, quae censum a Lycurgo constitutum solvere non poterat, consentaneum non est eos tanto studio hunc motum repressuros fuisse. Multo magis verisimile est eos Cinadonis partes secuturos fuisse, ut et sibi et aliis sui ordinis eadem iura vindicarent, quibus carerent. Intelligo hic mihi obiectum iri iterum Aristotelem, qui eodem

sexto capite, de quo iam supra sermo fuit, sic disputat: *ἡ γὰρ ἀρχὴ*, nempe Ephororum, *κυρία μὲν αὐτὴ τῶν μεγίςων αὐτοῖς ἐστι· γίνονται δ' ἐκ τοῦ δήμου πάντες, ὥςε πολλάκις ἐμπίπτουσιν ἄνθρωποι σφόδρα πένητες εἰς τὸ ἀρχεῖον, οἳ διὰ τὴν ἀπορίαν ὤνιοι ἦσαν.* Attendendum tamen est non magnis divitiis opus fuisse, ut aliquis inter *ὁμοίους* haberetur; sufficiebat parva ut vidimus, pecuniae summa. Memores autem ARISTOTELEM eodem capite docere fuisse inter Spartanos, qui, spretis Lycurgi legibus, magnas sibi opes comparassent, id, quod praesertim post Lysandri tempora factum est, non mirabimur inter *ὁμοίους* etiam recensitos fuisse nonnullos, qui recte tenuiores dici possunt et dicti sunt. Si quis autem intelligit, quomodo hi tenuiores, omissis ditioribus, creari potuerint Ephori, is cogitet velim hoc quidem saepe factum esse sed non semper, tum illud fortasse referri debere ad rationem qua cives mittebantur in suffragium, denique nusquam in republica ditissimo cuique iter ad honores esse expeditissimum. Praeclare autem, ut cetera, de civitate, in qua multi optimo civitatis iure gaudent, ARISTOTELES ait, *Pol.* V. 7: *ἔςι γὰρ ὥσπερ δῆμος ἤδη οἱ ὅμοιοι.* Nemini *τῶν ὁμοίων*, quamquam fortasse tenuiori, aditus ad honores praeclusus erat, non magis, ut hoc utar, quam Aristidi aut optimo cuique in vetere republica Romana. Collato ARISTOTELIS loco *Pol.* II. 6: *τοῖς μὲν γὰρ αὐτῶν συμβέβηκε κεκτῆσθαι πολλὴν λίαν οὐσίαν, τοῖς δὲ πάμπαν μικράν· διόπερ εἰς ὀλίγους ἧκεν ἡ χώρα*, si putabimus Ephoros fuisse e pauperioribus, primum non intelligitur, quomodo divitibus civibus non omnino fuerint venales, tum apparet, si hoc probabitur meram ochlocratiam Spartae fuisse, cum tamen Archytas ap. STOB. *Flor.* p. 269 disertis verbis hoc tradat: *τοὶ μὲν γὰρ βασιλέες τᾶς μοναρχίας, τοὶ δὲ γέροντες τᾶς ἀριςοκρατίας, τοὶ δὲ ἔφοροι τᾶς ὀλιγαρχίας (ἔχοντί τι)*, quod ex ARISTOTELE sic explicandum est potius, Ephoros e nobilioribus familiis plerumque sumtos fuisse. Fuerint sane, ut ARISTOTELES ait, saepe *σφόδρα πένητες*, illud ipsum probat eos nonnumquam fuisse e ditioribus; erant *ἐκ τῶν τυχόντων*; non creabantur *πλουτίνδην* et *ἀριςίνδην*, sicuti Carthaginiensium magistratus, ARIST. *Pol.* II. 8. Neque hoc philosophum latuit, nam l. l. Ephororum *ἀνειμένην δίαιταν* vituperat, quo quidem vi-

tio pauperes non peccant, opinor. Sequitur scriptorem, qui falsam quam impugnavi sententiam per totum libellum tuetur, difficultates quoque evitare non potuisse, quae e prava opinione interdum subnascebantur. Hinc legimus pag. 62: »Neque Ephori semper omni partium studio liberi habendi »sunt, quippe delicta a viris, magnam victoriis auctoritatem »nactis, perpetrata omittentes, in eos, qui de plebe erant »acerbe animadvertentes." Quod quam absurdum sit, si Ephori ipsi plebeii fuerint, nihil attinet dicere.

His expositis et quantum facere potui exemplis declaratis, nam ut multo plura afferrem prohibuit *τῆς πολιτείας τὸ κρυπτόν*, de quo Noster rectissime queritur pag. 53, videamus quomodo Ephori creati sint. Qua de re paucis defungi potero, nam si supra recte disputavi ius suffragii et honorum ad solos *ὁμοίους* pertinere, quaestio iam soluta haberi potest. Verum manent quaedam explicanda. Veluti illud quod Aristoteles habet: *τοὺς μὲν γέροντας αἱροῦνται, τῆς δ' ἐφορίας μετέχουσι*, unde sunt qui conficiant omnes cives Senatores creare ex *τῶν ὁμοίων* numero, cum Ephori etiam extra hunc numerum sumi possint. Neque tamen hoc potest admitti. Nam Xenophon v. c. in *Anabasi* IV. 6. 14 hoc habet: *ὑμᾶς ἀκούω τοὺς Λακεδαιμονίους, ὅσοι ἐστὲ τῶν ὁμοίων, εὐθὺς ἐκ παίδων κλέπτειν μελετᾶν.* Iam si soli *ὅμοιοι* ex Lycurgi legibus vitam instituerent, credibile est eos quoque solos suffragii et honorum iure usos fuisse. Qua in re hoc magis urgeo auctoritatem Xenophontis, quo illum melius Spartanam rempublicam cognitam habuisse coniicere possumus. Quod autem ad Aristotelem attinet, hoc dicere videtur. Cives optimo iure creant senatorem quem velint *τῶν ὁμοίων*, modo sit sexaginta annis maior: unusquisque autem de eorum numero Ephoratum quotannis ambire potest, neque ulla annali lege ab hoc honore arcetur. Ratio autem qua populus ibat in suffragium Aristoteli haud nimis placuisse videtur, nam tum de creandis senatoribus, tum de Ephoris refert hoc quidem sibi videri *λίαν παιδαριώδες*, unde haud inepte viri docti coniecerunt utrosque eodem modo fuisse creatos, quod cur Noster improbaverit, non assequor. Ceterum gaudeo in multis eorum quae hic persecutus sum, me habere assentientem Wachs-

MUTHIUM, qui strictim haec attigit, *Hell. Alterthumsk.* I. p. 692.

Restant pauca quaedam indicanda a quibus dissentio. Verbi causa pagina quarta ubi sermo fit de iudiciis, quae reges exercuerunt, miror ex HERODOTO non laudari eos quoque iudicasse *ὁδῶν δημοσιέων πέρι*, pro quo memini me *Mnem.* IV. 25 substituere *προσόδων*; regibus saltem pecuniam publicam curae fuisse conieceris ex HEROD. VI. 59 et THUC. VIII. 5. Tributa extra ordinem memorantur ab ARISTOTELE, *Pol.* II. 6 extr. Praeterea suspicari quis possit e POLYBIO II. 62 § 1 reges tertiam partem praedae accepisse *κατὰ τοὺς ἐθισμούς*. cf. HER. IX. 81.

Pag. 9 ubi *μικρὰ ἐκκλησία* paucis attingitur, sequi malo doctrinam TITTMANNI *Gr. Staatsverff.* pag. 99.

Pag. 17 admitti non potest ratio, qua SUIDAE locus explicatur. Senatores apud SUIDAM dictos fuisse *ἐφόρους*, quasi civitatis curatores et praefectos incredibile est, tum quia illud nimis esset ambiguum, tum quia SOPHOCLES et AESCHYLUS nihil valent ad huius vocis usum apud lexicographos explicandum.

Valde miratus sum id quod legitur pag. 44, ubi recte animadversum est populum Ephoros sibi vindicasse tanquam libertatis vindices atque custodes, nam qui sic statuit, quomodo is dubitare potest, quinam eos crearint?

Fidem superat quod legitur pag. 54: »Iuvenes, qui in proe»lio terga verterant ne ab omnibus contemtui haberentur et »ita facile ad omnia turpia adigerentur cavebant Ephori." Quid attinet dicere XENOPHONTEM l. l. *de Rep. Lac.* III. 3 horum nihil docere?

Haec fere habui quae dicerem. Velim scriptor persuasum habeat sibi potissimum hoc scriptum esse, num forte quid elicere possit, quo utatur, si quando ad idem argumentum reversurus sit. Lectores, si quos habebo, quaeso ignoscant, si eos nimis diu detinuerim.

Harlemi, d. 21 *m. Oct.* 1855.

S. A. NABER.